



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Mundi moles.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A Verum ea quoque causa esse potest suppressæ caudæ, quod tempus aut à præterito, aut à præfenti, aut à futuro consideratur, quæ omnia incerta nobis omnino sunt: præteritum siquidem intueri minime possumus, & cum principio caret, neque mente quidem concipitur, futurum longe minus, quia nondum est, & finis ejus prorsus incognita, qua de Horatius tertio Carminum, od. 29.

*Prudens futuri temporis exitum,  
Caliginosa nocte premit Deus.*

Præfens vero cum sit instabile, velocissimeque transcurrat, vix percipi potest: veluti, si digitum in defluentem aquam intingamus, discernere non possumus, utrum in præterita, an in futura, an in præfenti: quia præterita jam elapsa, futura nondum adhæsit, præfens puncto ipso statim elabitur: quæ cum omnia cognitioni nostræ subducantur, Ægyptii forsitan pro hieroglyphico hujusmodi caudam ita reduci occultarique voluerunt.

CALAMITAS. CAP. V.

B Habet & vocabulum ipsum temporis, hieroglyphicam omnino significationem, ut hoc obiter attingamus, & à perniciofa Saturni vi non admodum alienam. Nam Poetæ *tempus edax rerum* esse dicunt. Neque Latini tantum, verum etiam Syri & Hebræi dictionem Tempus, pro calamitosa rerum statu ponere consueverunt. Nam, *Et erit tempus eorum in seculum*, 31. Psalmo legis, & hujusmodi passim multa. Quod vero hic *in seculum* legitur, interpretes de calamitatibus dictum volunt, quæ post neglectum Christum perpetuo erant Judæos oppressura.

MUNDI MOLES. CAP. VI.

Sunt qui aliam etiam picturam simulacrumve mundi fuisse dicant, ut scilicet intra circulum æreum <sup>Elementaria orbis figura.</sup> Serpentis effigiem accipitrino capite insignem circumducerent, ad Θ propemodum literæ similitudinem: ære quippe ignem referente, circulo magnitudinem & formam orbis indicante, Serpente, bonum dæmonem, cujus merito ac beneficio omnia alantur, vigeant, ac perennent. Sed non elementarem hunc orbem tantum ex hieroglyphico hujusmodi colligimus, verum etiam & cælum ipsum, quod sub Jani sigmento fabularum involucris occultatur. Janum enim ab eundo dictum peritiores asserunt. Mundus itaque initium ex se faciens, cum in se revertatur, figuræ ipsius, quæ post <sup>Macrobius lib. 1. c. 18.</sup> C ta est, rationem ostendere videtur.

ANNUS. CAP. VII.

Cæterum, quia Janus ubique anni dominus decantatur, quem à circuitu vocatum dicebamus, eundemque ac Apollinem intelligunt, veluti Dianam Janam olim appellatam affirmant, quos utriusque anni arbitros esse testatur antiquitas, præcipue vero Virgilius cum dicit,

*Vos ò clarissima mundi  
Lumina, labentem cælo qua ducitis annum,  
Liber & alma Ceres.*

*Georg. lib. 2*

Nam & Lucretius serpere Solem dixit, ut annum instruat:

*Annua Sol in quo contundit tempora Serpens.*

*Macrobius lib. 1. c. 18.*

Quod vero Maro Liberum & Cererem huc inculcarit, doctissime factum: utpote qui apud Orpheum legerat,

*Ἡλιον ὃν διόουσον ἐπίκλησιν καλέουσι.*

D & apud Euripidem & Aristotelem eundem Solem & Bacchum esse de quo nos apertius alibi. Dionysium eundem & Bacchum, & Liberum & Solem, aut igneam Solis vim, non ex Orpheo tantum, sed & Euripide, Aristotele & Eusebio Macrobioque citatis indicavimus: ubi apud eundem Virgilium ex antiquis codicibus legendum ostendimus, *Qui ducitis annum*, scilicet Liber & alma Ceres: licet, *qua lumina*, idem sit.

ÆOLUS. CAP. VIII.

Ipsa autem macularum varietas, & anni significatum in Serpente detectum, id in memoriam adducit, quod Æolus ejusdem varietatis gratia vetustas tempestatibus præpositum effinxit, per quem annum ipsum intelligebant: eaque de causa Hippotæ filium dixere, quod celeri cursu tempus elabatur. Equis enim hoc à natura tributum, ut nascantur ad cursum, quod loco suo disputatum est.

Y

Habe-